



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. XIII. De Novato presbytero, haeretico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

rem & filium, interfecisset, & ob odium eorum infestus esset Christianis, persecutionem movet ecclesiis. In qua *Fabianus* in urbe Roma martyrio coronatur, *Cornelio* succedente, qui & ipse resolvitur martyrio. In Hierosolymis quoque *Alexander* Episcopus, vir eruditissimus pro Christi confessione, post longævæ vitæ venerandam canitiem, post multos cruciatus & vincula, inter ipsa vicissim sibi succedentia tormenta deficit.

B E D A.

Tunc sanctus *Anthonus* monachus Ægypto dicitur exortus. Interea sub *Decio* persecutio Christianis illata vehementer exarsit, & innumerabiles sancti de utroque sexu, maxime apud Alexandriam, agones desudant; ita ut crederes prima persecutionum tempora renovari; de quibus *Dionysius* Alexandrinus Episcopus in Epistolis suis ad Fabianum Episcopum plenissime refert. Qui & ipse *Dionysius* postmodum capitis plectitur sententia.

C A P. XIII.

De Novato presbytero, heretico.

Sed quia in arca Domini etiam paleæ erant cum tritico, aliquanti tunc ad primam judicis faciem Christum negant, ad aras prosiliunt, timentes magis bonorum temporalium direptionem, quam summum bonum amantes. De quibus prædixerat Dominus, *quod qui pecuniam amant, haud difficile labantur.* Cornelius cum sederet, *Novatus*, Cypriani Episcopi presbyter, exsurgit. Hic
à ju-

à juventute spiritu immundo vexatus, cum tempus aliquantum apud exorcistas consumpsisset, ægritudinem incurrit gravem, ita ut desperaret. Vnde & jacens in lecto pro necessitate aqua perfusus est, nec reliqua in eo, quæ in baptisatis solent, solenniter ad impleta sunt: unde & Spiritum Sanctum nunquam potuit promereri. Hic Romam veniens, elatione tumidus, spem salutis penitus, etiam si digne poenituissent, novo dogmate conatur lapsis adimere. Ex quo & princeps efficitur hæreticorum *Novatianorum*, qui ab ecclesia separati, novo nomine, *Catharos*, id est *mundos* se appellaverunt. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in urbe Roma congregatur; cujus acta concilij sequens libellus explicabit.

